Ahrens, Heinrich Ludolf
De causis quibusdam
Aeschyli nondum satis
emendati commentatio

AD AUDIENDAS

ORATIONES ET DECLAMATIONES

QUAE DIE VI MENSIS APRILIS MDCCCXXXII

A COMPLURIBUS DISCIPULIS HABEBUNTUR

PAEDAGOGII ILFELDENSIS

FAUTORES

EA QUA PAR EST OBSERVANTIA

INVITAT

FRIDERICUS ADOLPHUS BROHM

REGIUS A SCHOLIS REGUNDIS CONSILIARIUS, PAEDAGOGII DIRECTOR,
ORDINIS GUELPHICI EQUES.

Praemissa est

de causis quibusdam Aeschyli nondum satis emendati commentatio,
quam scripsit Henricus Ludolfus Ahrens phil. Dr.

VENDUNT VANDENHOECK ET RUPRECHT BIBLIOPOLAE GOTTINGENSES.

De causis quibusdam Aeschyli nondum satis emendati.

Quum Aeschylum, ex quo tempore primum in eo legendo versatus sum, in dies magis adamassem, neque, quod supererat otii, melius eo me uti posse arbitratus essem, quam ut illi vel intelligendo vel emendando operam navarem, hac scribendi opportunitate oblata, ex iis, quae in studiis meis Aeschyleis nova mihi reperisse videbar, nonnulla promere nihil dubitavi. Quum autem animus primo inclinasset ad similes quasdam quaestiones, quales nuper summa et doctrina et sagacitate de Aeschyli arte institutae sunt, postea veritus, ne, quae vires meas superarent, aggrederer, in tenui potius singulos locos emendandi studio consistere malui. Neminem enim latet, quot in locis etiam nunc genuina poëtae manus desideretur, quod ne cui post trium saeculorum curas mirum videatur, primum in Aeschylo emendando multos elaborasse reputet majore audacia, quam aut doctrina aut ingenio instructos, eos autem, qui bene de poëta meruerunt, etiam plura restituturos fuisse, nisi singula potius delibasssent, quam certam viam atque rationem sequuti essent. Cogitanti autem mihi, quibus quasi fundamentis in Aeschylo critice tractando maxime niti oporteret, praeter communia et nota quatuor potissimum res, ab editoribus nimis neglectae, plurimum ponderis in singulis locis dijudicandis habere visae sunt: codicum auctoritas, sententiarum in canticis ordo, proprietas sermonis Aeschylei, metrorum apud Aeschylum ratio. Quanquam enim haud paucos libros editores conferendos curarunt, tantum tamen abest, ut

quisquam accurate de cujusquam auctoritate quaesiverit, varias codicum familias distinxerit et quae praeterea ad judicium firmandum opus sunt, ut haud paucae in textu, quem dicunt, reperiantur lectiones, quas conjecturas easque vel malas vel inutiles esse quum certissime demonstrare liceat, omnes editores nescire videntur. — De sententiarum in carminibus ordine nihil fere apud interpretes invenias, quanquam, si aliquatenus corrupti cujusdam loci sententiam vel ex ipsius cantici nexu vel e similium comparatione praesagire potuerimus, multum inde criticam adjuvari patet. Esse enim etiam in carminibus fabularum ordinem quendam, eumque in similibus similem, nunc non opus videtur demonstrare, postquam Dissenius, ut unum instar omnium nominemus, quanta arte Pindarus etiam ea instituerit, quae plurimi aut inculto aut luxurianti poëtae ingenio tribuenda, immo condonanda putarunt, egregie docuit. Eodem enim modo etiam ordo sententiarum in canticis tragicorum leges quasdam sequitur, quae quanquam in genere alio aliae et a pedestri ordine diversae, tamen sunt leges. — Aeschylum deinde, ut quemque scriptorem insigniorem, proprietatem quandam sermonis habere, quae ipsam poëtae manum, sicuti Orestis praesentiam vestigia pedum, saepe vel levissimo indicio monstret, vix opus esset monere, nisi vel hanc ab editoribus nimis neglectam esse, jure doleremus. — Denique e metrorum ratione post Hermanni et Lachmanni insignia merita criticus vix novi quid haurire posse videatur; multa tamen in metrorum doctrina etiamnunc sunt dubia, praeterea leges, quas solus Aeschylus sequutus est, minus investigatae, denique editores ipsi metrorum saepe non satis gnari.

Has quatuor igitur res neglectas inter causas esse Aeschyli nondum satis emendati, nobis persuasimus idque exemplis paucis e quoque genere depromptis aliis quoque probare jam conabimur.

CAPUT I.

Meliorum librorum lectio in nonnullis locis restituitur.

Quum ne Wellauerus quidem, quanquam multis in locis genuina meliorum librorum lectione revocata bene de Aeschylo meritus, accuratius de singulorum codicum aut familiarum auctoritate egerit, primum, qui meliores

libri habendi sint, nobis demonstrandum esset. Amplior tamen ejus rei disquisitio alienior ab consilio hujus scriptionis esse videtur, quare paucis tantum, quid judicandum sit de auctoritate librorum Agamemnonem, Choephoros, Eumenides, Supplices complexorum indicabimus potius quam argumentis firmabimus. Ceterae enim tres fabulae pluribus continentur codicibus, quam ut paucis vel leviter defungi liceat; illae autem quatuor in perpaucis libris servatae ad nos pervenerunt, quorum quisque quam auctoritatem nobis accurate investigantibus habere visus sit, aperiemus.

Quatuor illae fabulae cunctae praeter notas in Agam. lacunas continentur:

1) Codice Mediceo, quo jam Victorius subinde usus est; postea Needhamus et Blomfieldius ejus collationes habuerunt, utinam accuratiores, ne, quid in illo legatur, saepe dubium esset. Philelphianus aut idem aut accuratum apographum. — Idem liber ad Sophoclem ab Elmslejo Laurent. A vocatur. — Omnium est antiquissimus; neque tamen mendis caret nec ceterorum, ut multi putarunt, fons esse sed cum Guelph. cod. Rob. et Reg. L ex eodem fonte fluxisse videtur.

2) Guelpherbytano ab Askewio et Schützio collato, ita tamen ut haud pauca ab iis omissa esse collatio Supplicum amico ab quodam confecta, satis demonstret. Quanquam pejoris Mediceo notae, tamen, quia correctricem grammaticuli manum non expertus est, multi faciendus.

3) Regius Parisiensis nr. 2886, quo Spanhemius, Askewius, Faehsius usi sunt (ap. Well. Reg. L, in Addendis ad T. II. Reg. P), manu Jani Lascaris scriptus, tenet *Eumenides* et *Supplices*. Haud raro correctus est.

4. 5) *Agamemnonem integram* et *Eumenides* continent Florentinus et Farnesianus (de Veneto ap. Blomf. in Ag. parum constat); ille in Blomfieldii usum ad Agam. collatus est; hunc accuratissime ad Ag. contulit P. Elsmlejus (Mus. Crit. Cant. nr. VII et in calce Agam. Blomf. ed. Lips.), quam integram lectionem variam miro errore neglexit Wellauerus, excerptis Blomfieldii contentus cf. Praef. T. II p. XI. Ad Eumenides Burgessius pauca ex eo dedit. Farnesianus manu Dem. Triclinii scriptus, lectio et ab hoc et a Thoma Magistro interdum bene, saepe infelicissime correcta est. E simili fonte fluxit Florentinus, qui, quanquam pluribus mendis inquinatus, rarius tamen correctorem grammaticum prodit (Triclinium, si quid video, nunquam). Ceterum uterque neque in ceteris sine usu (complures enim optimas

praebent lectiones, quas utrum ex diverso a Mediceo fonte an e conjectura fluxerint, non audeo dijudicare) et in magna Agamemnonis parte, quam Victorius ex iis hausit, unicus fons.

Editiones Aldina, Robortelliana, Turnebiana habent Agamemnonis illas lacunas. *Aldina*, quin in his quatuor tragoediis (minime in ceteris) e Guelpherbytano sit expressa et antea non dubitavi et eam opinionem nova Supplicum collatione egregie confirmatam vidi. Patet enim inde, multas Aldinae lectiones a Guelph., ut antea videbatur, diversas in ipso illo libro legi. Quum praeterea foedissimis, ut constat, typographi erroribus scateat, nullus fere ejus usus. — ***Robortellus*** antiquo codice usus est, qui neque ad familiam Farnesiani aut Florentini pertinet, ut Herm. opinatus est Opusc. III p. 166, quorum cum lectionibus diversis rarissime casu quodam conspirat, neque Reg. L cum Well. putandus est Praef. T. II p. VII, cum quo ubi conspirat, eadem lectio aut in Guelph. aut in Med. reperiri solet. Nonnulla insunt, quae correctorem sapiant, neque tamen editori tribui posse videantur, quum is suas et Sophiani conjecturas in calce addiderit; alia Aldinae potius quam codici originem debent. *Turnebus*, cujus editio eodem anno cum Robortelliana, posterior tamen, in lucem prodiit, ipse testatur, se ad Prom. Sept. Pers. uno, ad ceteras nullo codice usum, sed in his emendandis scholia aut loci cujusque sententiam tanquam duces sequutum esse. Haec enim in Graeca editionis praefatione leguntur:

Τρεῖς μέντοι τῶν τραγωδιῶν οὐκ ἂν ὀκνοίημεν διϊσχυρίσασθαι οὐκ (sic) *ὡς ἔτυχεν ἡμῖν διωρθῶσθαι· ἀντίγραφον γὰρ εὖ μάλα παλαιὸν παρὰ τοῦ λαμπροτάτου προέδρου Αἰμαρίου Ῥαγκωνήτου κομισάμενοι, ἀφορμῆς ἐτύχομεν εἰς τὴν ἀκρίβωσιν τῆς ἐκδόσεως τῶν τριῶν* (Prom. Sept. Pers.) *καλλίστης· ἐν ταῖς ἄλλαις ὑποσκάζομεν κατεφίκεσθαι τοῦ καταρτισμοῦ τὸν αὐτὸν τρόπον μὴ δυνηθέντες ἀντιγράφων ἀπορίᾳ· οὐκ ὀλίγα μέντοι ἄττα τοῦτο μὲν τῶν σχολίων ὑποτιθεμένων, τοῦτο δὲ ὑπαγορευούσης τῆς τοῦ ῥητοῦ διανοίας εἰς τὸ ὑγιὲς ἀποκατεστήσαμεν.* —

Quare mirari licet, quod nonnulli quidem editores Turnebo in his quatuor fabulis non nimiam, nemo, quod quidem sciam, nullam fidem tribuerit. Eum tamen in illis praeter ed. Ald. (fortasse et Robort.) et scholia Robortelli nullo nisi ingenii subsidio usum esse, praeter ipsius testimonium satis docere poterat, ut alia taceam, quod inter ingentem numerum locorum, quibus Al-

dinae monstra irrito labore emendare conatur, paucae emendationes Turnebi ingenio dignae reperiuntur. Lectiones variae in calce libri additae ad has certe quatuor tragoedias corrigendorum instar sunt.

Victorius in praefatione se Mediceo codice usum esse affirmat, praeterea ad Agamemnonem duos alios adhibuisse (quos Florentinum et Farnesianum fuisse certum videtur). At quanquam et ipse et Stephanus de Mediceo usurpato magnifice loquuntur, rarissime tamen eo Victorium usum esse facile apparet. Nam in Agam. Choeph. Suppl., quae diversa habet a prioribus editionibus, ea omnia fere haurire potuit e Farn. Flor. et schol. Rob., aut minutissima sunt ad orthographiam plerumque spectantia; in Eumenidibus, ad quam fabulam Florentini nullam, Farnesiani parum accuratam collationem habemus, saepius Victorianae lectionis fons incertus est. — In plurimis Turnebianam aut Farnesianum sequitur. Variae lectiones Stephani maximam partem ex editionibus antiquioribus haustae sunt, paucissima codicibus, nonnulla conjecturae debentur.

Scholia primus Robortellus edidit separatim, eorumque lemmata passim ab editione Robortelli, plerumque errore typographico, discrepantia haud raro Turnebianae lectionum fons sunt. Omnino ex his antiquis scholiis haud pauci loci recte emendati sunt. — Mutavit nonnulla et saepe quidem male Victorius, alia addidit, quae quum glossae interlineares et marginales fuisse videantur, nullius omnino sunt pretii. Nonulla fortasse ipsi Victorio debentur. Ita initio Supplicum haec scholia ap. Vict. accesserunt: v. 1. *ἀφίκτωρ*| *ἱκετῶν ἔφορος*. v. 12. *στασίαρχος*| *τῆς συστάσεως ἡμῶν ἄρχων*. ib. *πεσσονομῶν*| *ὑπὸ τούτων λογιζόμενος*. v. 41. *πόρτιν*| *ἄλλως τὸν Ἔπαφον* (deest in Guelph.). v. 42. *τιμάορα*| *βοηθὸν*. Etiam breviores glossae, quas Buttlerus ad Eumenides, nescio unde, praebet, glossae Farnesiani et Guelpherbytani critico non omnino inutiles.

Inter codices igitur Mediceus, Guelpherbytanus, Robortellianus (quanquam de eo saepe non constat), Regius L ex eodem eoque bono fonte derivati sunt, et ultimi quidem duo ceteris magis inter se cognati. Reg. L, ubi ceteri corrupti, vix ullo loco bonam lectionem praebet, saepe insulsi grammatici vestigia habet. Robortelli liber bonae notae fuit, nisi quod correctiones passim insunt; ubi cum Mediceo conspirat, lectio ubique fere antiquior ceteris putanda. Guelpherbytanus saepius cum Mediceo etiam malas lectiones

communes habet. *Aldina* a Guelpherbytano accurate collato vix ullo loco ita dissentiet, ut melius quid prabeat. Ita Suppl. v. 725 *ἐπιτυχεῖ κότῳ*, quod ex Ald. in ceteras editiones transiit, sensu molestum est; nondum enim Aegyptiadae finem assecuti erant. At Guelph. habet *ἐπὶ τύχῃ* aperta corruptela. Med. Rob. *ἐπὶ τάχει*, unde accentu mutato *ἐπὶ ταχεῖ κότῳ* optimum sensum praebet; nam e celeritate itineris Aegyptiadarum animus pugnae cupidus (v. 723) cognosci potest. *Ἐπὶ* cum dat. rationem et modum indicat cf. v. 623. Matth. p. 1173. — v. 734 Guelph. ut ceteri *καλῶς ἂν* Ald. *καγλῶς ἄν*, unde post Glasg. editores *καλῶς γ' ἂν* receperunt, quo certe non opus est. — Ita etiam Agam. v. 44, ubi G. Farn. R. V. *Ἀτρειδᾶν*, A. T. *Ἀτρειδῶν* praebent, quum Blomfieldius, ubique Doricarum formarum ex Anapaestis expulsor, hoc praetulisset, Wellauerus, qui idem recepit, Aldinum exemplar in talibus sequendum ratus, pessimum sibi ducem elegit. Quanquam enim in Anapaestis non lyricis Aeschylus paucissimos Dorismos admisit, tamen genit. N. P. decl. prim. *Οἰδιπόδα* Sept. v. 1047 certus est et Agam. v. 1550 *Πλεισθενιδᾶν*, quanquam ibi in Farn. *ῶν* suprascriptum,*) uti etiam Soph. Antig. v. 814. Eur. Med. 1118 *Ἀίδαν* Soph. Ant. 378 *Οἰδιπόδα* inter Atticas formas reperitur. — Contra aliae Doricae formae in his Anapaestis dubiae videntur ut v. 47 *ἀρωγὰν*, v. 101 *ἀγανὰ* (qui locus omnino corruptus est uti etiam Choeph. v. 1063, ubi *πνεούσας*), quanquam *χιλιοναύτας* v. 45 ut Soph. Antig. 796 *παγκοίταν* retinuerim. Omnino enim in masculinis primae declinationis Dorismi in Anapaestis tolerandi videntur, pedestri etiam orationi in Nn. Pp. certe non Atticis soliti.

Turnebiana lectio, quam nullam fidem habere diximus, in nonnullis etiam nunc locis tenetur, ubi incorrecti libri habent, quod probari possit; in multis locis pro aperta corruptela meliorum codicum conjecturam dedit etiam magis a genuina lectione recedentem. — Ita Choeph. v. 13 M. G. R. *πῆμα*, A. *πόμα*, unde T. conjecit *πτῶμα*, quod cur illi praeferendum sit, non

---

*) In cantico eo v. 1423-1558 Aeschylus similem legem observasse videtur, atque Eurip. in Medea v. 95 seqq. quam ibi sagaciter P. Elmslejus detexit, perperam ab Herm. Cens. p. 339 vituperatus, ut Choro plures, Clytaemnestrae nullas fere Doricas formas concederet, quod illius verba magis sunt lyrica. Ita Dorismos chorus habet v. 1430. 1519. 21. consensu librorum confirmatos. Contra quae in Clytaemnestrae verbis formae Doricae leguntur incertae sunt; nam v. 1456 Fl. *γέννης* (suprascr. *ας*) habet, v. 1551 Fl. *θεμένη* Fa. *θεμένα* (suprascr. *η*), ita ut e meliore Florentini auctoritate utroque loco Attica forma antiquior videatur. —

video. — Nec v. 556 cum Turnebo pro omnium librorum lectione *φωνὴν Παρνησίδα οἴσομεν* recte *ἥσομεν* repositum est, quum illud jam v. 574 *γλῶσσαν φέρειν* satis tueatur. — v. 871 G. A. R. recte *πεπληγμένος*, quod Turn. in *πεπληγμένης* mutavit, quia *αὐχὴν*, quo refertur, ex Aldinae errore *ἀρχὴν* in *ἀρχὴ* emendaverat. — v. 919 G. A. R. *στένω μὲν*, quod Blomfieldius nescit an non sit repudiandum, mihi vulgatae *στένομεν* longe praeferendum videtur, quia Chorus in sequenti cantico nequaquam dolet de Clytaemnestrae et Aegisthi caede. Simile prooemium Chori Sept. v. 804 seqq. ubi quum chorus dubitet, utrum gaudeat an doleat, in ipso cantico nihil nisi lamentatur. Turnebus offensus videtur mutato numero in *αἰρούμεθα*, quanquam ea ratio non insolita cf. Suppl. v. 42. 48, (ubi eadem de causa emendavit), Eur. Andr. v. 142.

Suppl. 463 M. G. A. R. *καὶ μὴν πολλαχῆ* Reg. L. *καὶ μὲν* edd. post Turn. *καὶ πολλαχῆ γε* metri causa; facilius tamen *καὶ πολλαχῆ μὴν*. — Eumen. v. 973 e G. A. R. reponas *εὐσεβοῦντας* pro vulgata *εὖ σέβοντας*; cf. de *εὐσεβεῖν* c. acc. Ag. 329 et quos ibi Well. laudat, quibus adde Seidl. ad Troad. v. 85. Eum. v. 976 *Πέμψω τε φέγγη* post Turnebum omnes; multo melius, quod praebent G. A. R. *φέγγει*; hoc enim Minerva dicere vult, se Eumenides lampadum lumine sub terram deducendas curare. De constructione cf. Pers. v. 1032 *πέμψω τοί σε δυσθρόοις γόοις*.

Victorium quoque saepius a librorum auctoritate sine justa causa discessisse, optime intelligitur in ea Agamemnonis parte, ad quam edendam eum nullis nisi Florentino et Farnesiano subsidiis usum esse certissime demonstrare licet. Ita v. 474 quod Fl. Fa. (a Well. neglecti) praebent *γυναικογήρυτον*, temere omnino a Victorio in *γυναικοκήρυκτον* mutatum est. — v. 1354 Fl. Fa. Ve. rectissime *ὡς μήτε φεύγειν μήτ' ἀμύνασθαι μόρον*, ubi Vict. *ἀμύνεσθαι* propter praesens *φεύγειν* dedit; at constat *φεύγειν* perfecti vim habere et *τὸ ἀμύνεσθαι* res est unius momenti. — v. 1645 Fl. Fa. *Δαίμονος χηλῇ βαρείᾳ δυστυχῶς πεπληγμένοι*, Vict. *χολῇ*, quanquam illud et metaphora praeferendum et aptius verbo *πεπληγμένοι* cf. Pers. v. 507:

Ὦ δυσπόνητε δαῖμον, ὡς ἄγαν βαρὺς
ποδοῖν ἐνήλλου παντὶ Περσικῷ γένει.

Scholia Robortelliana saepe emendantibus rectam viam monstrarunt, saepe emendationes confirmant ut Choeph. v. 317 Erfurdtii conjecturam *ἀντίμοιρον* explicatione quanquam falsa *ἐναντίον*, aut meliorum librorum lectionem ut

Suppl. v. 259 *πέρας*, quod G. R. (vid. Blomf. ad Agam. Gl. v. 183), explicatione *τοῦ πέρατος*. Etiam e glossa Farnesiani Ag. v. 419 *την καρδίαν τήκουσα* emendare licet *τλησικάρδιος*, quod sensu caret, in *τηξικάρδιος*, quod jam Stanlejus voluit.

His paucissimis, quid de antiquorum librorum auctoritate judicandum sit, quantumque lucri ea accuratius ponderata ad Aeschylum emendandum facere possimus, indicare potius voluimus quam demonstrare. Ne plura de hac re disputemus scriptionis hujus ambitus obstat, quanquam plurima similia afferri poterant, pauciora quidem, in quibus ipsa meliorum librorum lectio adoptanda est, plura, ubi e corrupta eorum lectione genuinam poëtae manum aliter atque in vulgata factum est, restituere licet. Complura ejus generis in sequentibus passim reperientur.

CAPUT II.

Duo Aeschyli cantica sententiarum ordinis ratione habita emendantur.

1) Choeph. v. 417 seqq. Well.

Inde a Turnebo initium hujus strophae in omnibus editionibus ita legitur:

Ἔκοψε κομμὸν Ἄρειον εἴτε Κισσίας
νόμοισι πολεμιστρίας·

nisi quod nonnulla metri causa, praeterea *εἴτε* a Tyrwh. Sch. Herm. in *εἶτα* mutatum est. Major tamen Wellauero corruptela inesse videtur, *εἴτε Κισσίας* unius vocabuli fragmenta judicanti, quod a nemine dum *Κισσία* illa satis explicata sit. Blomfieldius quoque nihil se de Cissiis bellatricibus compertum habere profitetur, quanquam Bothius Aeschylum talem bellatricem cogitasse arbitratur, qualis fuit Artemisia (!!). Potuit sane in eo offendi; accuratius tamen totius loci sententiam considerantem etiam magis intelligere oportet, haec verba, ut nunc leguntur, sanum sensum non praebere. Et haec enim et sequentia usque ad *ἀπέκαθεν* ab omnibus intelliguntur de Clytaemnestra Agamemnonem trucidante, in quibus *ἀπρικτόπληκτα* et *πολυπλάνητα ὀρέγματα* vix apte de ictibus occidentis dicantur *), etiamsi nolimus urgere, tres Clytae-

*) Neque Agam. v. 1081 *προτείνει δὲ χεῖρ᾽ ἐκ χειρὸς ὀρεγομένα* recte scholia sequuti de ictibus letiferis interpretantur; ordine enim Cassandrae visa procedunt; hic mente conspicit Clytaemnestram maritum malo dolo balneis excipientem et summa cura foventem, deinde v. 1085 peplo fatali irretientem, postremo v. 1096 securi caedentem.

mnestrae ictus Ag. 1357 non posse *ἐπασσυτεροτριβῆ* vocari. Sequentia vero, si *κτύπῳ*, id quod nexus fere postularet, de strepitu illorum ictuum intelligamus, plane ridicula sunt. At haec non possunt non de planctu explicari, qui passim *κτύπος* appellatur ut Choeph. v. 22. Eur. Andr. 1211. Phoen. 1351. Orest. 963. Alc. 87. Neque minus ceteris planctum describi, singula fere verba testantur; vulgaria de ea re vocabula sunt *κόπτειν* et *κομμός*; vocem *ἀπρικτόπληκτα* unice interpretari licet de unguibus crines scindentibus, genas lacerantibus cf. Pers. v. 1014

Xerx. *Καί μοι γενείου πέρθε λευκήρη τρίχα*
Chor. *Ἄπριγδ' ἄπριγδα μάλα γοέδνα*
v. 1019. Xerx. *Καὶ ψάλλ' ἔθειραν καὶ κατοίκτισαι στρατόν.*
Chor. *Ἄπριγδ' ἄπριγδα μάλα γοέδνα.*
Soph. Aj. v. 302. *Κόμην ἀπρὶξ ὄνυξι συλλαβὼν χερί.* —

Nec *πλήσσειν* de planctu insolitum cf. Soph. Aj. 615. Eur. Troad. 789; denique omnia egregia, modo agnoscamus descriptionem planctus, in quo capillus scindebatur Pers. 1013. 19. Soph. Aj. 302. 617. Eur. And. 826. 1209, gena unguibus lacerabatur Choeph. v. 22. Eur. Suppl. 50. 76. Hec. 655. Or. 963, caput et pectus ita percutiebantur, ut Pers. 1003. Sept. 835 planctus cum remigum ictibus comparetur.

Hisce igitur si inducimur, ut planctum Electrae ab ipsa describi putemus, in primis versibus tertia persona *ἔκοψε*, deinde *Ἄρειον* et *πολεμιστρίας*, unde vulgata loci explicatio nata est, corrupta esse videntur. Similia accuratius in metra inquirendo apparent. In antistropha v. 438-44 sunt trimetri jambici, excepto v. 439, qui est dimeter; recte apud Well. et Blomf. leguntur, nisi quod ille *πατρώϊον* in textu reliquit. Herm. Schütz. Both. sine justa causa metrum integerrimum e stropha corrupta corrigere studuerunt *οὐδενὸς* scribentes, hic praeterea *ἄτιτος* aut *ἀτμενὴς* pro *ἄτιμος* suspicatus. At secundum criticae artis leges, stropha potius, in qua etiam sensus dubius, hinc constituenda est. Antistrophae igitur metrum hoc:

∪ – ∪ – – ∪∪ ∪ – ∪ – ∪ –
∪ – ∪ – ∪ – ∪ –
∪ – ∪ – – ∪∪ ∪ – ∪ – ∪ –

```
∪ – ∪ ∪∪   ∪ – ∪ ∪∪   ∪ – ∪ –
– – ∪ ∪∪   ∪ – ∪ –    ∪ – ∪ –
– – ∪ –    – – ∪ –    ∪ – ∪ –        (in ant. pes unus deest)
```

Metrum igitur in strophae primo versu turbatur voce *Ἄρειον*; recte enim omnes praeter Wellauerum anapaestum etiam in trimetro lyrico non ferendum judicarunt, quum, in quibus reperitur versibus, non veri trimetri sint habendi. Alii igitur aliter emendarunt aut *κόμμ'* aut *Ἄρεον* scribentes aut verba transponentes, sensu non mutato. Inter eos, qui alterum versum dimetrum Jambicum esse intellexerunt, Lachmannus *νομίσμασι*, Blomf. *πολεμιστηρίας* suspicatur, quae jam propter solutam arsem minus placent, quum in ceteris strophae et antistrophae versibus solutiones accuratissime respondeant, quare etiam in primo, si metrum unice spectemus, *Ἄρεον* ceteris praeferendum est.

Postremo librorum lectiones et scholia examinanda sunt, quae et eadem illa corrupta esse et quomodo emendari possint, egregie docent. In primo versu Med. Ald. praebent *ἔκοψα* (sine dubio etiam Guelph.), Rob. *ἔκοψαν*, Turn. et sequentes omnes *ἔκοψε*. Illud sicut optima auctoritate nititur, ita verissimum, quum Electra, uti jam diximus, suum planctum describat. Robortelli *ἔκοψαν* correctori debetur metri ignaro, qui aeque ac Turnebus locum de caede Agamemnonis male interpretatus est. *Ἄρειον* a schol. Rob. explicatur *περσικόν*, unde facillime restituere licet *Ἄριον*.*) Hoc enim nomen aut Medos cognatosque populos complectitur aut ejus regionis gentem indicat cf. Herod. VII, 62. Strab. XV p. 724 ed. Cas. Steph. Byz. s. v. Bene autem *κομμὸς* Arius vocatur, quum illius regionis gentes cum ceteris orientis populis lamentationum et planctus saevitiam communem habuisse videantur cf. Aesch. Pers. v. 119. Ctes. ap. Hesych. s. v. *σάραπις;* etiam planctus descriptio in fine Persarum Aeschyli v. 997 seqq. aperte Persicum morem sequitur. Praeterea Aeschylus etiam alias in simili re aliorum populorum morem confert ut Pers. v. 900 *Μαριανδυνὸς θρηνητήρ* et v. 1011 *ἐπιβοᾶν τὸ Μύσιον.* In

*) Idem Pers. v. 956 restituas, ubi libri fere omnes *Ξάνθην ἄρειον τ' Ἀγχάρην*, Bl. Lachm. Well. metri causa e Rob. *Ξάνθον* receperunt; verius tamen videtur *Ξάνθην Ἄριον τ' Ἀγχάρην.*

altero versu G. A. R. habent *λεμιστρίας*, nec dubito, quin idem (saltem non vulgata) in Mediceo negligenter collato legatur. Turnebus ut inde Graecam vocem extunderet, fortasse voce *Ἄρειον* inductus, *πολεμιστρίας* scripsit eadem audacia, qua Ag. v. 288 e corrupta lectione *ὠποῦ* fecit *Ὠρωποῦ*, quum Med. Farn. genuinam lectionem *Ἀσωποῦ* esse doceant. — In hoc loco Turnebi conjecturae et sensum et metrum adversari, jam vidimus, veriorem emendationem et faciliorem Hesychius, quem multa Aeschylea tenere constat, suppeditat in glossa ex hoc ipso, si quid video, loco expressa *ἰηλεμιστρίας, θρηνητρίας*. Corrigas enim:

νόμοις ἰηλεμιστρίας·

Jam omnia, non minus sensus quam metrum egregie procedunt. *Ἰηλεμίστρια* ab *ἰηλεμίζειν*, quod legitur ap. Callim. fr. 176 Spanh., hoc ab *ἰήλεμος* sive *ἰάλεμος*, lamentatione saeviore (vid. Lexicographos cf. e tragicis Aesch. Suppl. v. 107. Eur. Phoen. 1034. Orest. 1391. Herc. fur. 109. Suppl. 281. Troad. 600. 1304), qualis cum planctu conjuncta erat. Nec latet jam, cur *Κισσία ἰηλεμίστρια* memoretur; Cissiae enim lamentandi arte insignes fuisse videntur cf. Pers. v. 119

καὶ τὸ Κίσσινον πόλισμ' ἀντίδουπον ἔσσεται

ubi *ἀντίδουπον* de ipso planctu intelligendum est cf. Pers. 997. 1005. 1023. Soph. Aj. 615 *χερόπληκτοι δοῦποι*

Jam igitur v. 417. 8 ita sunt legendi:

Ἔκοψα κομμὸν Ἄριον εἴτε Κισσίας
νόμοις ἰηλεμιστρίας·

in quibus unicum *εἴτε* dubium videri potest, quanquam id defendere licet collato Choeph. v. 988 *μύραινα γ' εἴτ' ἔχιδν' ἔφυ* et iis, quae Herm. ad Vig. p. 834 affert. Est enim simplex *εἴτε* ejus, qui eidem rei aliud idque aptius nomen dare studet. Tyrwh. Schütz. Herm. Blomf. *εἶτα*, Bothius *ἔν τε* corrigit. In proximis, quae Wellauerus dedit, probo, nisi quod *ἀπριγκτόπληκτα* praeferendum videtur ex analogia verbi *πυκτομαχέω* ap. Suidam.

Haec nulla antecedentium et sequentium ratione habita emendari poterant; neque tamen quomodo ea cum ceteris cohaereant, intelligere neque corrupta quaedam in reliqua carminis parte emendare licet, nisi accuratius in indolem et ordinem totius carminis inquiramus.

Praeclarum hoc canticum v. 313–471 inter ea referendum est, quae com-

muni nomine *κομμοὶ* appellantur, inter scenae personas et chorum distributa. Jam ipsum nomen satis indicat, quae cantica proprio sensu *κομμοὶ* vocari possint, ea aperte, in quibus lamentationes cum planctu continentur (cf. Arist. Poët. c. 12 *κομμὸς δὲ θρῆνος κοινὸς χοροῦ καὶ ἀπὸ σκηνῆς*), cujus generis apud Aeschylum sunt Sept. v. 856-995. Pers. 895-fin. — At in talibus quae nihil nisi ejulationes quam maxime lamentabiles complectuntur, vix de sententiarum ordine quaeri potest. Referuntur autem inter commos etiam alia carmina, quibus non dolor tantum sed alii affectus exprimuntur, quibusque poeta magis personarum mores explicare quam ipsum vehementissimum dolorem, qualem gravi aliquo malo accepto prodere solent, ostentare conatus est. In tali carmine consentaneum est cum sententiarum ordinem esse, quem res postulat, ut diversi affectus servent ordinem, quo in pectore humano se excipere solent. Quanquam enim in lyricis carminibus eaedem sententiae vario modo disponi possunt, dialogica tamen forma ubique fere dramatici quid servat, id quod aeque in Platonis dialogis atque in Theocriti idylliis dialogicis aut quoque carmine amoebaeo apparet. Dramaticus autem ordo is est, quo singulae vel res gestae vel affectus ita se excipiant, ut alter ex altero natus est. Ita Horat. Carm. III, 9, ut exemplo res magis illucescat, str. 1. 2 amorem, str. 3. 4 litem amantium, str. 5. 6 reconciliationem depingit, drama in arctos carminis fines coactum. Simili modo in omnibus fere commis, qui paullo majorem habent ambitum, sententiarum ordo is est, quem dramaticum vocare licet. Praeterea notatu dignum est, singulas sententias stropharum ambitu discerni. Exemplis nonnullis res apparebit. In pulcherrimo cantico, inter Electram et Chorum distributo Soph. Electr. v. 120 seqq. sententiae ab Electra prolatae, quas Chorus hortando quasi elicit, hunc in modum procedunt:

1) stroph. et ant. *α*: nunquam se de patris misero fato lamentari destituram esse.

2) stroph. et ant. *β*: etiam suam ipsius conditionem maxime esse lamentabilem.

3) stroph. et ant. *γ*: a) sese optare, ut qui patrem foedissime trucidaverint, ejus facinoris aliquando dent poenas. b) etiam, quae ipsa perpessa sit, odium suum excitare.

4) Epod. — Paucis et nunquam lamentationes se omissuram repetit et ultionis desiderium exprimit.

Duas igitur primarias sententias distinguere licet, dolorem et odium, utrumque et patris caede et sua injuria excitatum. Stropha igitur γ′ ad partem primam, ant. γ′ ad partem secundam respicit, epodus omnia complectitur.

Inter Aeschylea carmina conferre licet, quod legitur v. 1423 seqq., in quo simul Agamemnonis necem luget Clytaemnestra ratione magis lyrica quam in trimetris v. 1386 seqq. facinus, quod perpetravit, defendere studet. Totum canticum et sensu et metro in tres partes dividitur.

1) v. 1423-1459. Chorus de Agamemnonis fato lamentatus, primum Helenam, tum Daemonem Tantalidis inimicum tantorum malorum causam dicit. — Clytaemnestra illud negat, hoc probat.

2) v. 1460-1511 Chorus Clytaemnestram indignum fatum regi parasse dicit. Haec et se illud parasse, quum ἀλάστωρ potius sua forma usus sit, et fatum indignum fuisse negat.

3) v. 1512-1558 Chorus de futuris anxius et, quis Agamemnonem cum justa lamentatione elaturus sit, nescit, et nova portendit mala. — Clyt. illud sibi et Iphigeniae curae fore, saeve irridens affirmat, haec vero se avertere conaturam. *).

---

*) Nescio an repetitio stropharum ς′ et ζ′ v. 1495 seqq. a sciolo potius, qui, quo Clytaemnestrae verba v. 1502 referrentur, proxime esse vellet, quam a poëta profecta sit. Iis enim ejectis multo pulchriore ordine metra procedunt hunc in modum

	An.		An.		An.		An.		An.		An.		An.		An.		An.
α′	β′	γ′	δ′	α′	δ′	ε′	ς′	ζ′	η′	ε′	η′	ϑ′	ι′	ϰ′	λ′	ϑ′	λ′
Ch.	Ch.	Ch.	Cl.	Ch.	Cl.	Ch.	Ch.	Ch.	Cl.	Ch.	Cl.	Ch.	Ch.	Ch.	Cl.	Ch.	Cl.

Totum carmen alternatim habet strophas lyricas et systemata anapaestica. Trium, quae facile distinguuntur partium, quaeque complectitur stropham et antistropham chori, systema et antisystema Clytaemnestrae. Post stropham insertum est systema anap. et brevior quaedam stropha trium versuum β′ γ′, ς′ ζ′, ι′ ϰ′. Voluerunt β′ et ι′, γ′ et ϰ′ sibi respondere, quod metra parum indicant; similes tantum sunt strophae γ′, ζ′, ϰ′ ut systemata β′, ς′, ι′.

Ut igitur paucissimis verbis complectamur, in prima parte de antiquis Agamemnoniae caedis causis, in secunda de ipsa ratione caedis, in tertia de iis, quae inde oritura sint, sermo est. Agnoscas igitur dramaticum et chronologicum quasi ordinem.

Talia quoque huc trahere licet, in quibus choro trimetri tribuuntur, non justae strophae aut systemata. Ita Soph. Aj. v. 340 seqq. 1) str. et ant. *α′* prooemii instar; 2) str. *β′* et *γ′* de vesano facinore, quod modo perpetraverat querelae; 3) ant. *β′* et *γ′* odium in Ulyssem et Atridas exprimitur; 4) str. et ant. *δ′*, quum ultione turpi modo sit dejectus, mori cupit. — In pulcherrimo Agamemnonis parte, qua Cassandrae vaticinia continentur tres partes distinguas: 1) str. *α′*, *β′*, *γ′* Cassandra queritur, quod ab Apolline in hanc domum deducta sit *antiquitus* caedis plenam 2) str. *δ′*, *ε′* vaticinatur *Agamemnonis* necem 3) str. *ϛ′*, *ζ′* illis caedibus etiam ***suam ipsius*** accessuram.

In omnibus, quae contulimus canticis, dramatica indoles facile apparuit, quam non solum in sententiarum ordine, sed personarum etiam moribus demonstrare poteramus. Notanda simul est summa, qua inprimis Aeschylus excellit, ut metrorum ita sententiarum, symmetria. — Eadem in cantico, de quo agimus, agnoscere licet, nisi quod, duabus e scena personis cum choro cantantibus, major in hoc ars conspicitur.

Totum canticum, cujus prooemium Anap. v. 304-12, peroratio quasi v. 459-71, ipsis metris in quatuor majores partes distinguitur 1) v. 313-365 2) v. 374-416 3) 417-448 4) v. 449-59. Primae duae anapaestis chori arctius inter se cohaerent, hanc in formam:

α′	*β′*	*α′*	An.	*γ′*	*β′*	*γ′*	Anap.	*δ′*	*ε′*	*δ′*	An.	*ϛ′*	*ε′*	*ϛ′*
Or.	Ch.	El.	Ch.	Or.	Ch.	El.	Ch.	El.	Ch.	Or.	Ch.	El.	Ch.	El.

In tertia parte, de qua maxime agere constituimus nulli anapaesti; in quarta singulae strophae et antistrophae partes Oresti, Electrae, Choro tribuuntur, nec latet, gliscente affectuum ardore bene primum anapaestos omissos esse (ut Ag. 1090 chori trimetri in lyricas strophas transeunt), tum singulis breviora tributa.

De ordine stropharum in tertia parte postea disputabimus; in quarta

stroph. antistr.
Or. El. Chor. Or. El. Chor.

si tertiam igitur nunc partem, in qua multa in dubitationem vocari possunt, omittimus, ea in toto cantico lex apparet, ut Orestis et Electrae verba metris sibi respondeant, eadem ratione, qua Sept. v. 940 seqq. Antigonae et Ismenae (nam ibi v. 960-2 chori sunt).

Jam vero si de sententiarum ordine quaerimus, prima pars est *ϑρῆνος ἐπιτύμβιος*, secunda desiderium ultionis et melioris fortunae exprimitur, tertia consilium ulciscendi, quarta preces ad patris manes et Deos funduntur de prospero incepti successu.

In primo systemate stropharum duae partes et sensu et metro distinguuntur 1) v. 313-340 de misera sua conditione queruntur 2) v. 341-65 de patris nefanda nece. — Item in secundo systemate 1) ultionem paternae necis optant v. 374-98 2) malae, qua utuntur, conditionis mutationem v. 399-416. — Harum igitur partium sententiae, ut Dissenii, qua in editione Pindari utitur, rationem imitemur, in hunc modum sibi respondent:

syst. I syst. II
α′ β′ β′ α′

Uti enim carmen incipit a querela, quod ne justas quidem inferias patri ferre possint, inde ad lamentationem de patris nece transit, ita, quum eam recordati ultionem exoptassent, ad ipsorum inopiae memoriam revocantur. —

Praeterea notabile est, in prima parte Orestem praeire, in altera Electram, pulchre; quum enim fratri in lamentatione, quae inferiarum instar est, primae partes jure tribuantur, sororem poëta, egregie humano pectore cognito, ultionis cupidiorem facit, ita ut Orestem dubium et a caede matris

---

Nota. Quanquam non in proposito erat, de his cantici partibus accuratius agere, tanta tamen in nonnullis strophis est corruptela, ut universus etiam sensus, quem unice spectare voluimus, dubius evadat. Omissis igitur iis, quae quum ab aliis recte emendata essent, Wellauer. ut solet, sana judicavit, gravissima nonnulla paucis tangemus. — Antistrophae γ′ v. 357 explicationes, quas Schützius, Bothius, Schwenk dederunt et Orestis voto male respondent et

abhorrentem instimulet, quod Euripides imitatus est Electr. v. 967 seqq. Chorus modo consolatur et spem injicere studet, modo lamentationibus et optatis illorum accedit. Insignem igitur in hisce admirari licet metrorum et sententiarum ordinem, quem in tertia carminis parte plane desideramus.

---

soloecismo laborant, recte monente Wellauero et Blomfieldio, quanquam id Bothius in nova editione non concedit, qui utinam Matthiaci grammaticam laudans paragraphum, quo *μηδὲ* defendi dicit, accuratius indicasset; neque enim § 600 neque omnino reperi, quod ejus interpretationem tueatur. Bene schol. et Blomf. sensum explicant: *γυναικικῶς οὐδὲ τούτῳ ἀρέσκεται ἀλλὰ τῷ μηδὲ τὴν ἀρχὴν ἀνηρῆσθαι.* At tum scribere oportet *τεθάφθαι.* Infinitivus cum nom. in votis rarior, certus tamen Hom. Od. 7, 311

Αἲ γὰρ Ζεῦ τε πάτερ καὶ Ἀθηναίη καὶ Ἄπολλον
τοῖος ἐὼν οἷός ἐσσι τά τε φρονέων ἅτ' ἐγώ περ
παῖδά τ' ἐμὴν ἐχέμεν καὶ ἐμὸς γαμβρὸς καλέεσθαι

ubi, quomodo inf. a *τοῖος* pendere possit, quod Bernh. Synt. p. 357 vult, non perspicio. — Similiter Od. 24, 375. Infinitivum suadente Matthiaco restituit Pflugk. e codd. Eur. Hel. 263

εἴθ' ἐξαλειφθεῖσ' ὡς ἄγαλμ' αὖθις πάλιν
αἴσχιον εἶδος ἀντὶ τοῦ καλοῦ λαβεῖν·

Conjunctivus enim, qui vulgo legitur, ferri non potest recte judicante Matth. ad Suppl. 1026. Gr. p. 991. Herm. ad Phil. 1081. In omnibus his locis infin. est praeteriti loco, ita ut *ὤφελον* omissum dicas, aut potius, quum *ὤφελον* Graeci conjunctionis fere loco haberent, etiam cum aliis particulis infinitivum junctum esse. — v. 360 Blomf. recte *δουρικμῆτι.* — Sequentia sana judico; post *οὕτως* enim *ὥστε* ad infin. omissum est cf. Matth. p. 1286. Sententia haec: *utinam* (oratio adnectitur Orestis verbis) *ne sub Trojae quidem muris sepultus esset, sed percussores potius ejus ita prostrati essent, ut de eorum fato etiam posteri canerent.* In stropha *γ'* v. 345 longior quidem antistrophico, sed ille potius nobis corruptus esse videtur, quum aliis locis bacchiaci versus puri esse soleant; Prom. v. 115. Sept. 100. Choeph. 385. Eum. 757. Ag. 1112. — *Κτίσσας* igitur glossam judicamus, pro *αἰῶνα* autem *αἰῶ* scribimus, qua forma Aeschylum usum esse Gramm. Bekk. I p. 363, 17 testatur:

τέκνων τ' ἐν κελεύθοις ἐπιστρεπτὸν αἰῶ.

In Anap. chori v. 368 *ὀδυνᾶσαι γὰρ* recte Glasg. et Schwenck ejecerunt; fortasse *ὀδύνας* glossema verbi *μαράγνης*, inde *ὀδυνᾶσαι* ortum ut v. 776 *διαδικᾶσαι* e *διὰ δίκας*, et *γὰρ* metri causa additum. In v. 372 post *ὅσιαι* interpungas et *στυγερῶν τούτων* cum sequentibus conjungas hoc sensu: *quum haec omnino sint mala, liberis etiam pejora sunt quam aliis.* De part. *δὲ* post participium vel conjunctum vel absolutum vid. Buttm. Exc. XII ad Dem. Mid. Matth. p. 1246.

Stroph. *ε'* majorem habet corruptelam in verbis *τί γὰρ κεύθω* usque ad finem. Nulla ex emendationibus prolatis satisfacit. Hoc tamen certum puto, *πρῴρα* cum schol. inepte de facie intelligi, sed metaphoram quandam a nave petitam subesse unde *ἄηται* verum videtur

Strophae inter personas aliter ab Hermanno, aliter a Lachmanno distribuuntur. Illius ratio a Schwenckio et Wellauero probata haec est:

El. Or. El. El.

quae multum discedit a ceterorum symmetria. Magis placeret Lachmanni ratio:

Ch. Or. El. Ch.

quanquam et haec non omnino ceteris similis est. Quod Glasg. Blomf. Both. Dind. partem versus 438 Oresti tribuunt, nullo modo ferri potest. Omnino non quatuor, sed sex strophae distinguendae videntur; stropha et ant. ζ, ceteris hujus carminis longiores, metro et sensu in binas partes discernuntur v. 417-22, 423-27, quarum altera est jambica, altera antipathica. Ex his sex strophis secundum ceterorum analogiam duas Oresti, duas Electrae, duas Choro tribuendas esse ea lege servata, ut Orestis et Electrae verba sibi respondeant, ceterorum ratio indicat. Ordo stropharum aut ut in primis partibus hic esse possit

ζ η ζ' θ η' θ'

aut, ut in quarta parte

ζ ζ' η θ θ' η'

---

quod Both. e melioribus libris reposuit. In antistr. ε', quae tentatae sunt emendationes nituntur Turnebiana lectione et jam eam ob causam falsae sunt. Rob. habet *θράρεια πέστασιν ἄχος*, Ald. Rob. similia, unde elicere possis:

ὅταν δ' αὖτ' ἐπαλκῆ σ' ὁρῶ ῥεῖ'
ἐλπίς ἔπεστ' ὥσειν ἄχος
πρὸς τὸ φανεῖσθαί μοι καλῶς.

Quae quomodo codicum scriptura nitantur, antiquis literarum ductibus pictis facile intelligitur; sensus et metrum bene procedunt.

In Ant. δ' primum *ἀμφιθαλὴς Ζεὺς* vix apte dicitur, quare *ἀμφιλαφὴς* reposuerim; deinde recte *καί ποτ' ἂν* interrogative proferri, Blomf. judicat, sed etiam sequentia interrogationes habendae sunt: num Jupiter tandem aliquando manus injiciet? num pax terrae redibit iis percussis? poenasne repetam e scelestis? Incertum enim et paene desperantem Orestes ceteris quoque se praebet.

Ille tamen, quum hae sint strophae, non partes stropharum, magis placeret.

Sententiarum ordinem etiam accuratissima investigatione nullum invenias. V. 417-22 Electra (aut Chorus) planctum suum vehementissimum describit; v. 423-27 de patris indigno funere lamentatio; v. 428-32 Orestes sibi patres percussores poenam daturos affirmat; v. 433-37 Electra Agamemnonem adeo dissectum et turpissime sepultum esse dicit; v. 438-43 Electra (aut Chorus) se exclusam conclavi funesto miserrime lacrimasse narrat; v. 444-48 sensu dubio. — Laudabimus ejus sagacitatem, qui, qua ratione haec procedant, demonstraverit, aut quomodo planctus descriptio ad antecedentia adnectatur. Praeterea alia accedunt, quae stropharum ordinem perversum aperte indicant.

Primum ant. ή v. 437 his verbis ad Orestem directis clauditur:

Κλύεις πατρῴους δύας ἀτίμους

Incipit deinceps ant. ζ:

Λέγεις πατρῷον μόρον· ἐγὼ δ' ἀπεστάτουν

quae quomodo nonnulli eidem personae continuare potuerint, vix intelligi potest. Neque tamen si haec cum Lachmanno choro tribuamus, aut cum Porsono Oresti, summum languorem inesse negari potest, quod uti recte Bothius sensit, ita conjecturam suam *λῆγ' εἰς* non multis probabit. Nobis haec stropha potius huc transposita videtur propter responsionem, quae in illis verbis inesse videbatur. Deinde quae v. 444. 45 vulgo continuantur:

Τοιαῦτ' ἀκούων ἐν φρεσὶν [σαῖσιν] γράφου,
δι' ὤτων δὲ συντέτραινε μῦθον
ἡσύχῳ φρενῶν βάσει.

intolerabilia sunt tautologia et hysteroprotero, nec facile intelligas, quomodo audiens *μῦθον δι' ὤτων συντετραίνειν* dici possit, quod potius loquentis est. Quare etiam haec alii personae tribuenda esse videntur, id quod etiam metricam rationem suadere jam notavimus.

Hisce omnibus inducimur, ut genuinum stropharum ordinem turbatum judicemus, nec desunt veri ordinis indicia. Primum quae secundae partis ultimae strophae bene adnectatur, nulla reperitur stropha praeter v. 423-27 Orestis enim verbis *ἄσαντος ἐκ ματρός ἐστι θυμὸς* respondet: *ἰὼ δαΐα πάντολμε μῆτερ.* Deinde quum planctus v. 417 seqq. acriorem dolorem prodat

quam lacrimae v. 438 seqq., quumque, qua occasione planctus editus sit, non indicetur, illa posteriore loco quam haec fuisse videntur. Denique uti stroph. η', qua Orestes firmissimum ulciscendi consilium profitetur, optime ante ipsas preces v. 449 collocatur, ipsum ejus strophae initium vocibus *ἀτίμως* et *ἀτιμώσιν* ad Electrae verba v. 437 *δύας ἀτίμους* refertur, ita ut versus 428-32 proxime, nisi fortasse choro interposito, Electrae verba v. 433-7 sequuti esse videantur. Si praeterea reputamus, quum Orestis et Electrae strophae sibi respondere debeant, Oresti nec stroph. η', 1, nec ant. η', 1 tribui posse, has igitur chori, str. et ant. η', 2 Orestis et Electrae esse, hunc ordinem restituendum esse apparebit:

v.	423.	437.	444.	433.	417.	428.
	El.	Ch.	Or.	El.	Ch.	Or.
	ζ'	η'	ζ'	θ'	η'	ζ'

1) Electra, funere civibus prosequentibus et lamentatione carente patrem elatum esse queritur 2) Chorus nec se affuisse sed clam lacrimasse narrat. 3) Orestes haec jam indigna esse dicit, sed aliis quoque se excitari vult. 4) Electra etiam dissectum tradit 5) Chorus dolore se correptum planctum saevissimum edidisse pergit narrare 6) Orestes de facinoribus tam indignis se poenas repetiturum profitetur. — Jam igitur omnia bene cohaerent. Electra fratrem dubium ut confirmet, eum admonet de summa, secundum Graecorum opinionem, impietate Clytaemnestrae et Aegisthi; Chorus suum, quum illa fiebant, dolorem narrando repetens et ipse Orestem instigat; Orestes denique illis gravissime motus consilii certus evadit; omnia ita sunt disposita, ut in altera parte turpius facinus narretur, gravior dolor describatur, certius consilium prodatur.

Ut omnia haec melius perspiciantur, hanc cantici partem e dispositione nostra adjecimus, paucis, quibus opus esse videbatur, notulis additis.

Ἠλέκτρα

antisp.-ithyph. v. 423. *Ἰὼ [ἰὼ] δαΐα πάντολμε μῆτερ,* *στρ. ζ.*
dim. tr. c. *Δαΐαις ἐν ἐκφοραῖς*

v. 423. Well. Both. alterum *ἰὼ* metri causa ejecerunt, recte, quanquam non putamus versum e dochmio et penthem. jamb. compositum esse, sed ex antispasto potius et ithyphallico; hic enim in his strophis regnat ut v. 227. 28. 29. 32. — Eodem modo antispastus compositus

dip. j. - cret.' Ἄνευ πολιτᾶν ἄνακτ'
Ἄνευ δὲ πενθημάτων
dip. j. - ithyph. Ἔτλης ἀνοίμωκτον ἄνδρα θάψαι.

Χόρος.

trim. j. v. 438. Λέγεις πατρῷον μόρον· ἐγὼ δ' ἀπεστάτουν στρ. ή.
dim. j. Ἄτιμος οὐδὲν ἀξία·
trim. j. Μυχοῦ δ' ἄφερκτος πολυσίνου κυνὸς δίκαν,
Ἑτοιμότερα γέλωτος ἀνέφερον λίβη,
Χαίρουσα πολύδακρυν γόον κεκρυμμένα.
Τοιαῦτ' ἀκούων ἐν φρεσὶν [σαῖσιν] γράφου.

Ὀρέστης.

444. Δι' ὤτων δὲ συντέτραινε μῦθον ἀντ. ζ'.
Ἡσύχῳ φρενῶν βάσει.
Τὰ μὲν γὰρ οὕτως ἔχει·
Τὰ δ' αὐτὸς ὀργᾷ μαθεῖν.
Πρέπει δ' ἀκάμπτῳ μένει καθήκειν.

---

cum Ithyph. v. 631. 7. Hoc loco scribas *ἰὼ δάα παντότολμε μῆτερ*, et animadvertas in his quatuor versibus antispastum caesura a reliqua parte versus dirimi.

v. 437. *λέγεις* simili modo in commis, ubi, quae persona antecedens dixerat, simul confirmantur et amplificantur Sept. 876. Pers. 263. — *πατρῷον* recte Glasg. Bl. Both. et propter tragicorum usum vid. Herm. El. D. M. p. 537 et quod in antistrophico nulla hac in sede solutio.

v. 439. *πολυσίνου*, quod recte Well. pro Porsoni emendatione *πολυσινοῦς* retinuit, quum non solum a substantivo sed etiam a verbo derivari possit, idem Lachmanno praeeunte recte cum *μυχοῦ* junxit. — Tota stropha ab omnibus ita intelligi videtur, ut Bothius eam interpretatus est: *„conqueritur se conclavi exclusam fuisse, quum interficeretur Agam., quominus facinus impediret.“* At apertis verbis poëta dicit, chorum (e nostra ratione) contemptus causa penetralibus exclusam esse, non timore; contumeliose enim prohibitus est, ne super ipso mortuo solitas lamentationes funderet.

v. 443. in libris mancus. Seidleri supplementum *σαῖσιν* magis placet, quam Bothii *σέθεν*, quia facile ultima vocis *φρεσὶν* syllaba absorberi poterat et spondei in gravi admonitione aptissimi sunt.

v. 444. Per aures meas verba tua usque ad intimam animi sedem terebra. — *φρενῶν* Turn. e lemmate schol. Rob.

v. 447. Plerique Pauwium sequuti *ὄργα* ut imper. scripserunt; Well. *ὀργᾷ* retinens *μαθεῖν* cum schol. pro imper. positum esse vult. Ex utraque ratione *αὐτὸς* molestum est, etiamsi haec Electrae continuentur; quid enim Orestem ipsum discere jubet? E Bothii quidem sententia eum dispicere jubet, quid nunc faciendum sit, ejusque faciendi opportunitatem considerare.

Ἠλέκτρα.

dip. j.-ith. v. 435. Ἐμασχαλίσθη δ᾽ ἔθ᾽ ὡς τόδ᾽ εἰδῇς, στρ. θ'.
Ἔπρασσε δ᾽ ᾇπέρ νιν ὧδε θάπτει,
dip. j.-cret. Μόρον κτίσαι μωμένα
dip. j.-ith. Ἄφερτον αἰῶνι σῷ
Κλύεις πατρῴους δύας ἀτίμους.

Χόρος.

417. Ἔκοψα κομμὸν Ἄριον εἴτε Κισσίας ἀντ. η'.
Νόμοις ἰηλεμιστρίας.
Ἀπρικτόπληκτα πολυπλάνητα δ᾽ ἦν ἰδεῖν
Ἐπασσυτεροτριβῆ τὰ χερὸς ὀρέγματα
Ἄνωθεν ἀνέκαθεν κτύπῳ δ᾽ ἐπιῤῥοθεῖ
Κροτητὸν ἀμὸν καὶ πανάθλιον κάρα.

Ὀρέστης.

428. Τὸ πᾶν ἀτίμως ἔλεξας, οἴμοι. ἀντ. θ'.
Πατρὸς δ᾽ ἀτίμωσιν ἆρα τίσει,
Ἕκατι μὲν δαιμόνων,
Ἕκατι δ᾽ ἁμᾶν χερῶν,
Ἔπειτ᾽ ἐγὼ νοσφίσας ὀλοίμαν.

At μαθεῖν est aut dicta aut facta cognoscere; quum igitur Orestes Electrae voce αὐτὸς opponatur, ipse quaedam cognoscere jubetur, quae illa aut nequeat aut nolit eum docere, quod alienum est. — Suspicor igitur αὖτις scribendum esse (quanquam Aeschyli libri ubique αὖθις praebent; incertum tamen, quae forma verior vid. Seidl. Iph. T. v. 316.), quod sicuti αὖ et αὖτε in altero membro post οἱ δὲ bene locum habet cf. Aesch. Eum. 914. Suppl. 565. Ag. 539. Pers 179. Praeterea aut ὀργῷ legendum est aut interpunctio post μαθεῖν delenda, ut infinitivus a πρέπει pendeat. Uti enim Latini saepissime verbum ad duo membra pertinens initio secundi collocant cum conj. *que* vid. Hor. Sat. I, 6, 43 *si plostra ducenta concurrantque foro tria funera* et ibi Heind., ita Graeci rarius part. δὲ utuntur (unde videre licet recte Gesnerum ad l. l. eum usum e vitata repetitione verbi explicasse). Ita Soph. El. v. 105 ἔςτ᾽ ἂν παμφεγγεῖς ἄστρων ῥιπὰς λεύσσω δὲ τόδ᾽ ἦμαρ; nec scio an v. 11 restitui possit:

Αἳ τοὺς ἀδίκως
Θνήσκοντας ὁρᾶτε δὲ τοὺς εὐνὰς
ὑποκλεπτομένους etc.

nisi melius ὁρᾶθ᾽ αἵ. Nam una dipodia antisystema systemate brevius esse, non sine exemplo est. Ita Prom. v. 1042-fin., quae hunc in modum sibi respondent Pr. He. Ch. He. Pr.

2) De Supplicum v. 625 seqq.

Canticum hoc simili sententiarum confusione laborare videtur; quum enim Danaidum pro Argivorum salute preces eo contineantur, bis terve easdem sententias diversis locis proferri, alias dissimillimas interjici mirari licet. Ita Martem deprecantur stroph. α', str. β' extr. et str. γ' init., pestem str. β' in. et str. γ' extr.; interpositae preces de Diis colendis et mulierum partu ἀντ. β', ut alia taceamus. Sententiarum ita inter se mixtarum nemo editorum, minime, ut solent, talia spectantium, rationem aperuit; quare facile induci possumus, ut similem stropharum perturbationem factam esse suspicemur. Neque tamen apta transponendi ratio se praebet, neque alia aut verborum aut metrorum indicia accedunt, unde illa suspicio confirmetur. Metrica potius ratio optime se habet et aliam illius perturbationis, quae videtur, explicandae viam monstrat, quare metra hic describere libet.

Stroph. α'.	– ◡◡ – ◡ – | – ◡◡ – ◡ – – – ◡◡ – ◡ – –	dochm. - 2 dochm. h.	
	– ◡◡ ◡◡ ◡ – | – ◡◡ – ◡ – str. corr.	2 dochm.	
	◡ ◡◡ – ◡ – | ◡ – ◡◡ ◡ –	2 dochm.	
	◡ ◡◡ – ◡ – – ◡◡ – ◡ – –	dochm. - dochm. h.	
	– ◡ – ◡◡ – ◡	pherecr.	hi versus repetuntur str. β', γ'.
	– ◡ – ◡◡ – ◡ ||	idem	
	– ◡ – ◡◡ – ◡ – – ◡ – ◡◡ – ◡	Glycon. pherecr.	

Promethei systema altero loco una dipodia abundat. — Sept. v. 1046-fin. (de quo loco infra dicemus) nec v. 1046-51 et 1052-57 neque cetera accurate sibi respondent. Neque Antig. v. 112 aliquid excidit.

v. 433. Dedimus, quod Sch. Lachm. Well. Both. Bl. e Heathii emendatione receperunt, quanquam aliud quid in bonorum librorum corruptela latere videtur.

v. 432. *ὀλοίμαν* Turn. e schol. explic.; codd. *ἐλοίμαν*. — cf. ad sententiam praeter ea, quae Blomf. attulit, Soph. Aj. v. 380 *τούς τε διοσάρχας ὀλέσσας βασιλῆς τέλος θάνοιμι κἀυτός.*

Stroph. β′.	-͡ύυ-υ- -͡ύυ-υ- -͡ύυ-υ--	2 dochm.-d. h.
	-͡ύυ-υ--	dochm. h.
	-͡ύυ-υ̇--	idem
	-υυ-υ-υυ corr.	
	-υυ-υυ-υ-- cetera ut str. ά.	d. h. praem. dact.
Stroph. γ′.	-͡ύυ-υ-| -͡ύυ-υ-| -͡ύυ-υ--	2 dochm.-1 dochm. h.
	υ͡ύυ͡ύυυ-| υ͡ύυ͡ύυυ-	2 dochm.
	ύ-- -υ-υ-ῡ cetera ut str. ά.	dip. j. c.-ithyph.
Stroph. δ′.	ύ-- -υ-υ-- str. corr.	dip. j. c.-ithyph.
	ύ-υ- -υ-υ--	dip. j.-ithyph.
	ύ-υ- --υ- ύ-- e lect. codd. ant.	trim. j. cat.
	ύ-υ- -υ-	dip. j.-cret.
	ύ-υ- -υ-	idem
	ύ-υ- -υ-υ-ῡ	dip. j.-ithyph.

Primae tres strophae simillimam compositionem habent: quaeque duas partes complectitur, dochmiacam et glyconicam, hanc in omnibus eandem, ut pari modo Aesch. Ag. v. 358 idem versuum systema tribus strophis est additum idque iisdem legibus, ut in fine Pherecrateorum syllaba anceps, in secundo hiatus liceat, utque Glyconeus et Pherecrateus ultimus conjuncti sint. In Suppl. quidem stroph. et ant. γ′ pro altero Pherecrateo dimeter jambicus legitur, quem mutandum esse jam haec metrorum ratio persuadet, postea sensus evincet. Dochmiaca pars in his tribus strophis primum versum simillimum habet in str. ά e dochmio acat. et duobus hyp. compositum in str. β′ et γ′ e 2 dochm. et uno dochm. hyp. At dochmii hypercatalecti in hoc carmine semper, uti etiam alias plerumque hac forma utuntur: -͡υυ-υ--, ut possis

etiam logaoedicos putare; et videntur sane ad id genus versuum pertinere, quibus, quum transitum inter diversos rhythmos efficiant, ipsis certum rhythmum vix adscribas, uti Soph. Electr. v. 229. 30 aperte sunt tetrametri dactylici, v. 234. 5 dimetri anapaestici, interpositos v. 231-3 et dactylicos et anapaesticos judicare licet. Non vacat nunc de hoc rhythmorum genere amplius disputare, sed breviter dochmios hypercatalectos versus dochmio-logaoedicos appellare licebit. Quum igitur primus cujusque strophae versus duos habeat rhythmos, dochmiacum et dochmio-logaoedicum, ille in ceteris primae partis str. *α'* versibus regnat, nisi quod in fine versu dochmio-log. ad pherecrateos transitur: in strophae *β'* prima parte logaoedicus rhythmus valet; in stroph. *γ'* post primum versum unus dochmiacus, tum antipathicus, quo stroph. *δ'* praeparatur. Ita certas compositionis leges agnoscere licet, sed nolumus in hisce longius morari. Quod apertissimum est, quamque primarum trium stropharum rhythmo in binas partes discerni, id simul est gravissimum, modo animadvertamus, easdem sententiarum partes in strophis distingui posse. Inde enim suspicio oritur, canticum inter hemichoria distribuendum esse in hunc modum:
(str. *α'*) A, B, (ant. *α'*) B, A, (str. *β'*) B, A, (ant. *β'*) A, B (str. *γ'*) A, B, (ant. *γ'*) B, A.

Eadem enim hemichoriorum ratio est h. f. v. 996 seqq. ABBABAAB, uti bene docuit Clausenius Ephem. Litt. Hal. 1830 nr. 138; neque alius ordo Sept. v. 1046 seqq.: Hem. A. v. 1046-51, B. 1052-57. B. 1058-63, A. 1064-70. Nam v. 1052, qui nunc sensu carere videtur, quum *ἀποτρέπομαι δεῖμα πολιτῶν* non possit significare *timeo cives,* legendum est *ἄλλα* pro *ἀλλά.* Quum enim primum hemichorium dubitationem et timorem prodiderit, alterum animo fortiore respondet, se alia timere (manes Polynicis offensos) et timorem civium abjicere. Vox *ἄλλος* cum vi quadam initio orationis collocatur ut Prom. 520. 1065; etiam Ag. v. 1290 post *φόβῳ* interpungas et *ἄλλως* cum Herm. restituas.

Iam vero si ex hac hemichoriorum ratione sententias examinamus, apparet, hemichoriis mentem paullum diversam, ut solet, tributam esse; alterum pii, ut videtur, animi bella maxime deprecatur et Deos ut Argivi bene colant exoptat; alterum utilia spectans, pestis ut absit utque fruges abundent. quod ex hoc stroph. *β'* et *γ'* schemate optime intelligitur:

B str. β', 1. Pestis ut procul sit.
A str. β', 2. Ne bellum oriatur.
A ant. β', 1. Dii bene colantur.
B ant. β', 2.
A str. γ', 1. Bellum deprecantur.
B str. γ', 2. Morbi absint.
B ant. γ', 1. Terra ut sit fertilis.
A ant. γ', 2.

Bina utriusque hemichorii vota in utraque stropha eodem ordine repetuntur; eadem ratione hem. A in stroph. et ant. α', quae ceterum prooemii instar sunt, primum bellum deprecatur, tum de Argivis Deos colentibus loquitur; neque tamen eae merae sunt repetitiones earundem sententiarum, sed v. g. quum hem. A in str. β' bellum omnino deprecatum esset, in str. β' de civili potissimum bello verba facit, nec cetera dissimilia. — Hemichoriorum diversus animus etiam in str. et ant. δ' sibi constat, si justo ordine illam hem. B, hanc hem. A tribuimus. —

At neque ant. β', 2 neque ant. γ', 2 sententia cum iis, quae diximus convenit, quamvis ceterorum consensus id postulare videatur; accedunt tamen aliae rationes, cur eos locos corruptos judicemus.

Primum in ἀντ. β', 2 v. 659 seqq., ubi e schemate nostro similis sententia exspectatur ac v. 671 seqq., preces de agrorum et pecorum proventu, ultima quidem de mulierum partu bene conveniunt, initium minime. Haec enim omnes edd. praebent post Victorium, qui lectionem e codice hausisse videtur quum idem in Guelph. legi silentium collationum testetur:

Τίκτεσθαι δ' ἐφόρους γᾶς
Ἄλλους εὐχόμεθ' ἀεί

Schol. Vict. *ἐφόρους* explicant *βασιλεῖς*, quod omnes probare videntur, quanquam sententiam mirari licet; neque enim reges nascuntur, neque Danaides Pelasgis et Pelasgo gratum fecerint alios semper reges optando. Vossius versione sensum expressit a Graecis verbis alienum: ***Fort auch sprosse den Herr-***

schern hier stets, flehn wir, ein Nachwuchs. — Fortasse *δὲ φόρους γᾶς* legendum est ut v. 672 *φέρματι γᾶν;* quanquam etiam sic *ἄλλους* molestum est.

Versum 675 seqq. sententiae v. 653 seqq. respondere diximus, qua de Deorum cultu preces faciunt; hoc tamen loco longe diversa legimus. Ex vulgata enim lectione

Εὔφημον δ᾽ ἐπιβοῷεν
Μοῦσαι θεαί τ᾽ ἀοιδοί.

Musae, quantum intelligere licet, accinere jubentur; in quanam id re fieri velint aut quam ob rem, latet. Vossius Jahn. Ann. X p. 444 admonet, Musas uti apud Pindarum opibus favere; quomodo autem in verbis id inest? cur Musae *εὔφημον* canere jubentur? Quam maxime alienus est locus a Both. laudatus Iph. A. v. 952, ubi Musae cum ceteris Diis nuptiis Pelei adsunt. Magis etiam corruptela in singulis verbis apparet. Metricam totius carminis rationem postulare ut alter versus non dim. cat. sed pherecrateus potius sit, supra monuimus. Praeterea jam plures interpretes male habuerunt *θεαὶ ἀοιδοὶ* praeter Musas memoratae. Clausenius quidem l. l. part. *τε* appositionem efficere censet ut v. 60 *τᾶς Τηρείας ἀλόχου κιρκηλάτου τ᾽ ἀηδόνος* et v. 42 *Δῖον πόρτιν — ἶνίν τε — βοός.* At utroque loco diversa praedicata ejusdem personae (quae non nominatur) recte illa particula conjungi possunt: *Tereia uxor, quae simul est luscinia.* Diversa hujus loci ratio. Bothius *θεοί τ᾽ ἀοιδοί* legendum esse suspicatur, inter quorum numerum praeter Apollinem etiam Mercurium, lyrae inventorem, Bacchum, *Χορηγὸν ἄστρων*, Panem, *θεῶν χοροποιὸν ἄνακτα* refert (!!!). Vossius l. l. *θέσπιν ἀοιδὰν* suspicatur, quo universae sententiae vitium non tollitur.

At primum quoque versum vitium traxisse codices docent; vulgata *ἐπιβοῷεν* (quod, quum metro repugnaret, recentiores in *ἐπιβῷεν* aut *ἐπιβώντων* mutare voluerunt) Turnebiana est conjectura; Med. Reg. L. habent *εὐφήμοις δ᾽ ἐπὶ βώμοις*, Rob. *ἀφήμοις δ᾽ ἐπὶ βωμοῖς*, Guelph. *εὔφημον δ᾽ ἐπὶ βωμῶν* (e nova coll. idem quod Mediceus, nisi quod pro syllaba *-οις* sigla quaedam est, quae quid valeat, non patet.) Ald. *εὔφημαν δ᾽ ἐπὶ βωμὰν*, quibus collatis corrigendum esse censeo:

Εὔφημον δ᾽ ἐπὶ βωμοῖς
μοῦσαν θεῖεν ἀοιδοί.

Εὔφημος μοῦσα ut *στυγερὰ μοῦσα* Eum. v. 298 et multa similia; *θεῖναι*

μοῦσαν ut *θεῖναι μέλος* Pers. 999. Metrum ac sententia bene procedunt; haec optime respondet v. 653, ubi *θυμέλαι* sine dubio arae sunt, non curiae, ut nonnulli voluerunt, et omnino decet hemichorium primum pium erga Deos et musicae faventem cf. v. 628. 655.

Hisce restitutis etiam strophicus versus 668 emendandus est, ut pherecrateus evadat. In eo versu *κράτους ἀστῶν* non minus sensu offendit. Si enim circumscriptionem putare velis, obstat vocis *κράτος* vis, superiorem aliis potestatem indicans, quare recte ab Aeschylo in circumscriptionibus nonnisi de Diis et regibus usurpatur vid. Eum. 27. Ag. 109. 249. Sept. 120. Suppl. 521; sin velis *potestatem civitatis* interpretari, *νόσοι* translata significatione interpretandae essent, id quod sententiarum nexus non patitur. Praeterea *κράτους* auctoritate non maxima nititur; quum enim M. G. A. R. *κράτος* teneant, Turnebus e scholiis *κράτους*, errorem fortasse typographi, hausit. Quare jam olim *κρατὸς* emendavi, in quod etiam H. Vossius l. l. incidit. Id eadem ratione dictum est, qua diras in caput imprecantur, quia ibi vitae quasi sedes est. Apud Aristophanem frequentissimum est hoc sensu *ἐς κεφαλὴν* Pl. 527 et ibi intt.; adde iis, quae laudarunt, e Latinis inter alia Ovid. Her. XX, 127 ***inque caput nostrum dominae perjuria, quaeso, eveniant.*** Ibis v. 450: ***eveniant capiti vota sinistra tuo.*** — Eadem ratione in Soph. Oed. R. 265 *νῦν δ' ἐς τὸ κείνου κρᾶτ' ἐνήλατ' ἡ τύχη* cf. Ant. v. 1253. 1322. Ita hoc loco morborum quasi examen in capite considere vetatur. — De sing. *κρατὸς* cum plur. *ἀστῶν* conjuncto vid. Matth. p. 588 et quos laudat; adde Choeph. 1042 *δρακόντων κάρα.* Bernh. Synt. p. 60.

Praeterhaec alia quoque in hoc cantico emendatione egent. Ita initio carminis:

Νῦν ὅτε καὶ θεοὶ Διογενεῖς κλύοιτ' εὐκταῖα γένει χεούσας

γένει interpretantur de populo Argivorum, quod duplici ratione falsum est; primum enim *γένος* non est populus sive civitas, sed gens ut *γένος Περσᾶν* Pers. 974. 508, *Πελασγῶν* Suppl. 250; Danaides autem non pro Pelasgis omnibus, sed pro solis Argivis preces fundunt; tum ne Pelasgi quidem intelligi possent, quod, quum nihil praecedat, quo *γένος* explicetur, *ἡμετέρῳ* potius supplere oporteret ut Sept. v. 127 *Κλύοις ἅτε γένους προμαχῶν* cf. Suppl. 588. — Libri praeterea corruptelam indicant; Guelph. et Ald. habent *γένη*, schol. Rob. *εὐκταῖα γένη ἢ τῷ γένει,* quod Victorius mutavit in *γένει ἢ τῷ γένει.* Illud vulgatissimo errore nobis natum videtur ex *εὐκταῖ' ἀτενῆ χεούσας.* *Ἀτενὴς* enim ***firmiter***

*adhaerens**), translate significat *constans*, *ἀνύπεικτος* Tim. Lex. ubi Ruhnk. p. 62. Ita *ἀτενὲς βλέπειν*, oculos semper eodem convertere, *ἥκω δ' ἀτενὴς ἀπ' οἴκων* Eur. Alcm. I fr. 5 Dind. ex Hes. continuo domo huc veni; Agam. v. 70 *ἀτενεῖς ὀργαὶ*, ira, quae nunquam flectitur et avertitur. *Εὐκταῖα ἀτενῆ* igitur sunt preces instantes.

v. 627. vereor, ut recte *τὰν* ejecerint, quum in antistr. haec dochmii forma sit: – ⏑́⏑ – ´ ⏑ – et solutiones in ceteris accurate respondeant. Fortasse in *τὰν Πελασγῶν*, ut in dochmio, correptio ferri potest.

v. 655. nescio an *τὼς*, quod Vict. expulit, retineri possit; asyndeton enim in imperativis solemne.

v. 656. *μέγαν* ex Aldina fluxisse videtur; meliores libri *μέγα*, unde fortasse *μέγ' εὖ* restituendum est; in sequenti versu Canteri emendatio *Δί'* necessaria est et scholiastae verbis *τόν Δία τὸν ξένιον* confirmari videtur. Tum conjungas v. 657. 8. hoc metro

–́ ⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏑ – –

aut e schol. recipias *ὑπερτάτως* (quod confirmatur eo quod G. A. R. in sequenti versu *ὧς* pro *ὅς* habent; tum hos versus nanciscimur:

–́ ⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏑ –
–́ ⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏑ – –

CAPUT III.

Aeschyleum in oratione et metris usum accuratius observatum emendationes suppeditare.

Tertiam causam Aeschyli nondum satis emendati, proprietatem diximus a criticis saepe minus spectatam: quam opinionem ut uno certe exemplo probemus, Aeschylum audacia et pulchritudine metaphorarum excellere constat, in quibus conformandis cum amore quodam rationes nonnullas ceteris minus usitatas sequitur. Eo oxymori in metaphoris usus pertinet, de quo nuper egit Schwenck in Ephem. Schol. II, a. 1830 nr. 52 ad Prom. 882. Solet enim Aeschylus voci, metaphorice adhibitae, epitheton addere, quod cum propria ejus vocis significatione pugnat, ut Sept. v. 81 *κόνις ἄναυδος*

*) Soph. Ant. v. 818 *τὰν κισσὸς ὣς ἀτενὴς πετραία βλάστα δάμασεν*, uti recte Musgr. interpungit; comparatio enim in voce *ἀτενὴς* vertitur.

ἄγγελος, Suppl. v. 872 δίπους ὄφις, ut proprio vocabuli sensu sublato metaphorica vis augeatur. Locis praeter hos a Schwenckio laudatis Prom. 805. Sept. 64. 841. Ag. 82. 1231. Choeph. 486. Eum. 172. 236. 241. fragm. 293, addere licet Suppl. v. 177

ὁρῶ κόνιν ἄναυδον ἄγγελον στρατοῦ

Eum. v. 187

χωρεῖτ᾽ ἄνευ βοτῆρος αἰπολούμεναι

ib. v. 382

πτερῶν ἄτερ ῥοιβδοῦσα κόλπον αἰγίδος

Prom. v. 286

τόνδ᾽ οἰωνὸν
γνώμῃ στομίων ἄτερ εὐθύνων

Pers. v. 804

θῖνες νεκρῶν δὲ καὶ τριτοσπόρῳ γονῇ
ἄφωνα σημανοῦσιν ὄμμασι βροτῶν.

Eum. v. 820.

Σὺ δ᾽ ἐν τόποισι τοῖς ἐμοῖσι μὴ βάλῃς
μήθ᾽ αἱματηρὰς θηγάνας σπλάγχνων βλάβας
νέων ἀοίνους, ἐμμανεῖς θυμώμασι.

Nam sic recte G. A. R., quum vulgo e conj. Rob. legatur ἀοίνοις; multo enim melius ex illo Aeschyli usu σπλάγχνων βλάβαι, locutio metaphorica, ἄοινοι vocantur, quam θυμώματα. Robort. scholiastae explicationem sequutus videtur: ὅτι καὶ οἰνωθέντες τρόπον τινὰ γίνονται ἐμμανεῖς, quanquam inde concludere non licet, scholiastem ἀοίνοις legisse. Quod Bothius ἄοινα θυμώματα explicat *iras furiarum*, refutatione non eget.

Aliis in locis illum Aeschyli usum et investigare et conjectura restituere licet.

Agam. v. 69. 70 complura multis interpretibus molesta fuerunt; primum enim nonnullis vicina verba synonyma ὑποκλαίων et δακρύων jure intolerabilia sunt visa, quanquam Wellauerus quidem nihil in iis videt, quod tolerari nequeat. Cognatae enim significationis voces nonnisi duplici ratione conjungi possunt, aut ut similium notionum cumulatione major vis et climax efficiatur, aut ut earum discrimen magis urgeatur, quorum neutra hic locum habere potest. Neque enim, si quis cumulationem vel climacem agnoscere velit, alienae notionis vocabulum ὑπολείβων interjici poterat, neque si opposita velis

ὑποκλαίων et δακρύων, interpositum ὑπολείβων opposito carere. Quum igitur recte corruptelam aliquam subesse suspicati essent, minus recte ὑποκλαίων conjecturis maxime tentarunt, quod tam egregie conjungitur cum ὑπολείβων, ut ne Casauboni quidem emendationem ὑποκαίων, quanquam ceteris praeferendam, probari oporteat. Altera eaque maxima difficultas in explicandis verbis ἀπύρων ἱερῶν versatur, quae quum schol. de sacris Furiarum interpretatus esset, idque multi temere arripuissent, Blomf. eam explicationem falsissimam esse demonstravit; Furiis enim νηφάλια quidem, minime autem ἄπυρα sacra facta esse. Ipse interpretatur: *templa igne carentia*, Wellauer. iram ob *desideratam sacrificiorum flammam* i. e. *nulla sacra*. Utraque explicatio cum sententia universi loci pugnat, quum Dii Trojanis irasci dicantur propter nefas a Paride commissum, ut egregia imagine v. 49 seqq. jam tectius indicatur. Quam discrepantiam Wellauer. callide texit explicando: *qui Deos semel laeserit, eorum iram effugere non posse;* at cardo rei in eo vertitur, quo modo Dii laesi sint. — Praeterea ejus explicatio, quam Bothius amplexus est, valde est artificiosa. et ἄπυρα ἱερὰ eo minus nulla sacra significare possunt. quum nonnullis Diis ἄπυρα ἱερὰ facta sint cf. Eur. fr. inc. nr. 13 D. Pind. Ol. VII, 49 ibique Boeckh. Müll. Dor. I p. 398. Quum igitur ἀπύρων ἱερῶν propriam vim hic tueri non possit, metaphoram quandam subesse suspiceris. praesertim quum oxymoron quoddam ex Aeschyli more insit; deest tamen substantivum, quo oppositio referatur; quare facillima mutatione restituimus:

Οὔθ' ὑποκλαίων οὔθ' ὑπολείβων
οὔτοι δακρύων, ἀπύρων ἱερῶν
ὀργὰς ἀτενεῖς παραθέλξει.

Jam deorum ira excitata dicitur lacrymis injuste laesi, quae pulchra metaphora ἄπυρα ἱερὰ vocantur, et ἱερὰ quidem, quod ejus. qui injuria affectus est, lacrymis dii non minus quam sacris advocantur, ἄπυρα ex more illo Aeschyleo eo pulchrius. quod lacrymae maxime ἄπυροι sunt; ille autem qui scelus commiserit, postea nec lacrymis poenitentia fusis nec sacris deos placare posse dicitur. Fortasse erunt, qui Casauboni ὑποκαίων jam praeferendum putent, quo oppositio inter sacra scelesti et lacrimas laesi magis appareat. Ceterum οὔτοι facile propter οὔτε-οὔτε corrumpi poterat, ut Herod. VIII c. 149 οὔτε γὰρ δίκαιον οὐδαμῶς οὔτε κόσμον φέρον οὔτοι γε ἄλλοισι Ἑλλήνων

etc., ubi rectissime Herm. ad Vig. p. 948 *οὔτοι* restituit aeque in *οὔτε* corruptum. — *Οὔτε-οὔτε* sunt in explicatione posita vid. Herm. Opp. III p. 157.

Suppl. v. 760 seqq. vulgo sic leguntur:

Μέλας γενοίμαν καπνὸς
νέφεσσι γειτονῶν Διὸς
τὸ πᾶν δ' ἄφαντος
ἀμπτᾶσα δ' ὥς
κόνις ἄτερθε πτερύγων ὀλοίμαν,

in quibus v. 763 dudum editores male habuit, quod antistrophico non respondet:

πρὶν ἄνδρ' ἄπευκτον
τῷδ' ἐγχριμφθῆναι χροΐν

sed etiam haec sine metro; facillima est emendatio Bothii *τῷδε χριμφθῆναι* (ita R. L. F.) *χροΐν* legentis et cum antecedentibus in trimetrum conjungentis. Pro *τῷδε*, quod Lachm. in *ὧδε* mutavit, Voss. in *τᾷδε*, fortasse melius legas *τοῖνδε* noto more cum *χροΐν* junctum. Audacius foret e cod. Med. lectione *ἐγχριμφθῆν* Doricam formam *ἐνιχριμφθῆν* tragicis non usitatam restituere. Trimeter optime locum tuetur, si totius strophae metricam rationem spectamus.

In stroph. igitur v. 762. 63 metro laborant, neque tamen minus sensu; nam quod vulgo legitur, mera Turnebi est conjectura: Med. praebet *ἀμπετήσας δόσως*, G. A. R. Reg. L similia; Hauptius et Bothius igitur quum recte Turnebi lectionem expellendam judicassent, ille *ἀμπετὰς ἄιστος ὡς* corrigens Aeschylum barbarismo donavit, hic *ἀμπετάσσασα δρόσος* suspicatus est et, ut verbo *πετάννυμι* volandi significationem vindicaret, laudavit Matth. § 245. ubi *πετάννυμι* et *πέτομαι* ad idem etymon referenda esse indicatur. — Quod omnes meliores libri praebent, *ἀμπέτης* retineri posse videtur, quum analogia vocis *ὑψιπέτης* id satis tueri possit Soph. Oenom. ap. Ar. av. 1345. In ceteris nihil melius video, quam Hauptii *ἄϊστος ὡς*. At editores in apertissimo ulcere sanando occupati, tectius sequentis versus vitium non animadverterunt. Duas enim res Danaides in hac stropha precantur, primum ut fumus fiant ad nubes escendens, deinde ut pulvis, qui evolans sine pennis intereat; in quibus altera pars voti minus apta videtur; quum enim, ut singula verba docent, maxime evolare cupiant, pulvis cur fieri velint, latet. Deinde *ἄτερθε πτερύγων* nullam habet vim, nisi e more Aeschyli oxymori causa positum sit et

cum voce magis vicina conjungi possit, quam *ἀμπέτης* (hoc jam Voss. l. l. intelligens audacius *ταχεῖα* interjecit: *ἀμπετάσασ᾽ ὥσει κόνις ταχεῖ᾽ ἄτερθεν πτερύγων ὀλοίμαν.*) Denique cum hoc loco mirum quantum conspirat Aenigma de *καπνῷ* in Anth. Pal. XIV, 5. Br. An. III p. 323 nr. 17, ita ut vix dubitare possis, quin ex hoc loco expressum sit:

Εἰμὶ πατρὸς λευκοῖο μέλαν τέκος ἄπτερος ὄρνις
Ἄχρι καὶ οὐρανίων, ἱπτάμενος νεφελῶν
Κούραις δ᾽ ἀντομέναισιν ἀπένθεα δάκρυα τίκτω
Εὐθὺ δὲ γεννηθεὶς λύομαι εἰς ἀέρα.

Quare locum sic fere legendum puto:

Τὸ πᾶν δ᾽ ἄφαντος ἀμπέτης [ἄϊστος ὡς]
Ὄρνις ἄτερθεν πτερύγων ὀλοίμαν.

Danaides igitur primum optant, ut fumus fiant nubibus vicinus; neque tamen hoc satis videtur: etiam majore intervallo ab Aegyptiadis distare cupiunt, ita ut omnino conspici et reperiri nequeant. Locus Troadum v. 1320, quem contulerunt, verbis nonnullis, non sententia, similis est et obscurissimus.

Omnino metaphorarum et personificationum audacia Aeschylea saepe editores fefellit.

Agam. v. 1409 vulgo:

Οὔ μοι φόβου μέλαθρον ἐλπὶς ἐμπατεῖν
ἕως ἂν αἴθῃ πῦρ ἐφ᾽ ἑστίας ἐμῆς
Αἴγισθος κ. τ. λ.

ubi *φόβος* et *ἐλπίς* vicina docere poterant, *ἐλπίς* esse spem, non expectationem, et lectionem Flor. et Farn. *ἐμπατεῖ* male a Victorio mutatam esse. „Spes," inquit, „quae nunc in mea domo versatur non abibit in Timoris aedes (i. e. non mutabitur in timorem), dum Aegisthus mihi auxilio est, quasi ignis in ara", quo extincto spem hospitem in alienam domum abire consentaneum erat.

Choeph. v. 715 seqq., vulgatam

Νῦν γὰρ ἀκμάζει πειθὼ δολία
ξυγκαταβῆναι, χθόνιον δ᾽ Ἑρμῆν
καὶ τὸν νύχιον τοῖσδ᾽ ἐφοδεῦσαι
ξιφοδηλήτοισιν ἀγῶσιν.

nemo tolerari posse opinatus est; quae tentaverint, nunc non vacat recensere; omnes tamen emendationes et aliis laborant et tota sententia, quum aperte his

anapaestis Gaea et Hermes invocentur ut v. 122 aut Pers. v. 620 cum Hade conjuncti, illa ne Agamemnonem retineat, hic ut eum educat. Legendum esse suspicamur:

Πειθὼ δολίῳ
ξυγκαταβῆναι χθονίαν Ἑρμῆ.

M. G. A. enim δ' Ἑρμῆα Rob. γ' ἑρμῆα tenent; γ' aut δ' metri causa insertum, quum *χθονίαν* corruptum esset. Hermes *δόλιος* recte, ubi dux est viae, Soph. Phil. v. 133; contra *πειθὼ δολία* vix locum haberet, quod nullo dolo ad persuadendum opus est. Peitho ad inferos descendit uti Echo Pind. Ol. 14, 21 aut Aggelia Ol. 8, 81 cf. Soph. El. v. 1049. — In sequentibus tum *νύχιος* est ipse Agamemnon, quem *ἄκραντος ἔχει νύξ* v. 63.

Suppl. v. 438 seqq. Clausen l. l. p. 460 in idem incidit, quod olim ipse intellexi, veterum librorum lectiones revocandas et *γεμίζων* e Steph. v. l. et schol. restituendum esse

Καὶ χρήμασιν μὲν ἐκ δόμων πορθουμένων
Ἄτην γεμίζων καὶ μέγ' ἐμπλήσας γόμον
γένοιτ' ἂν ἄλλα κτησίου Διὸς χάριν.

Minus recte tamen ad *γεμίζων* subjectum *Ζεὺς* e sequentibus petendum esse putat, quod nimis est artificiosum, quum epitheton *κτήσιος* ab eo non possit revelli. Subjectum est indefinitum, *τις*, et *Ἄτην χρήμασιν γεμίζειν* eodem modo dictum est, quo Aesch. Agam. v. 1241 Cassandra serta alloquitur: *ἄλλην τιν' ἄτην ἀντ' ἐμοῦ πλουτίζετε*, quod interpretes non intellexerunt. Egregie enim quaecunque pereunt, Aten ditare dicuntur, quae quodammodo cupide ea arripit; *ἄλλην* noto more, quem pleonasticum dicunt.

Sed restat uti pauca indicemus, quorum corruptela metrorum Aeschyleorum accurata cognitione et investigari et sanari possit. Levissima quaedam, ne justas scriptionis fines excedamus, eligere placet.

Quod in anapaestis Euripideis non rarum est, ut dactylum anapaestus sequatur initio dipodiae cf. Herm. El. D. M. p. 376, apud Aeschylum nunc quatuor tantum locis reperitur Sept. v. 809. 49. Eum. v. 909 Suppl. v. 8. — At Sept. v. 809

Ἢ τοὺς μογεροὺς καὶ δυσδαίμονας
ἀτέκνους κλαύσω πολεμάρχους;

vox *ἀτέκνους* corrupta esse videtur, quum nemo antiquorum Eteoclem et Po-

lynicem liberos non reliquisse tradat, et ipse Aeschylus Epigonos scripserit, in qua fabula non potuit non commemorare vel Laodamantem Eteoclis vel Thersandrum Polynicis. Suspiceris *ἀτεχνῶς*: id tamen non Aeschyleum, nec totus locus interpolationis suspicione liber est. In altero loco Sept. v. 849

> *τὸν δυσκέλαδόν ϑ' ὕμνον Ἐριννύος*
> *ἰαχεῖν*

Ἐριννύος aut trisyllabum est aut *ἰαχεῖν* bisyllabum. cf. Herm. El. D. M. p. 53. 147. Seidl. de v. d. p. 46. In tertio Eum. v. 909

> *Ἤ τάδ' ἀκούετε πόλεως φρούριον*

facile corrigas *ἀκούεσϑε*. Ita quartus quoque suspicionem corruptelae movet: Suppl. v. 8 *Ἀλλ' αὐτογενῆ τὸν φυξάνορα*
> *γάμον Αἰγύπτου παίδων ἀσεβῆ τ'*
> *ὀνοταζόμεναι.*

in quo praeterea alia sunt, quae corruptum indicent: etiamsi enim rariorem articuli collocationem (quum Wellaueri *αὐτογένητον* metrum pessumdet) et *αὐτογενῆ — ἀσεβῆ τε* longiore spatio diremta excuses, *φυξάνωρ* tamen *γάμος* vix satis explicari potest; nam et schol. interpretatio *φυγὴν ἀνδρῶν ἐμποιοῦντα ἡμῖν*, et Wellaueri: *connubium cum viris, quos fugimus*, valde est artificiosa et exemplis caret. Non possunt enim comparari *συγγενὴς γάμος* et similia, in quibus noto more adjectivum pro genitivo positum est. Displicet etiam conjunctio verborum *φεύγομεν — φυξάνορα γάμον ὀνοταζόμεναι*. Denique *φυξάνορα* a Turnebo e schol. Rob., cui non omnibus locis fides habenda est, desumptum est; codd. omnes diversa praebent. Med. *φυλαξάνορα γρ. φυξάνοραν*. Guelph. *φυλαξάνορα*, sed e nova collatione *φυλαξάνοραν* c. v. l. *φυξάνοραν*. Reg. L Faehsii *φυλαξάνορος* c. v. l. *φυξάνορος*. A. R. *φυλαξάνοραν*. Optima igitur auctoritate litera *ν* in fine vocabuli confirmatur. Quare suspicor:

> *φεύγομεν*
> *οὔτιν' ἐφ' αἵματι δημηλασίαν,*
> *ψήφῳ πόλεως γνωσϑεῖσαι*
> *ἀλλ' αὐτογενῆ φυξανορίαν*
> *γάμον Αἰγύπτου παίδων ἀσεβῆ γ'*
> *ὀνοταζόμεναι.*

Videntur enim, postquam *φυξάνοραν* casu natum erat, alii articulo adjiciendo, alii *φυλαξάνοραν* scribendo, syllabam, quam deficere apparebat, non satis perite

supplere voluisse. — Vox *φυξανορία* non magis nova quam *φυξάνωρ*; *φυξανορία αὐτογενὴς* est *φυγὴ ἀνδρῶν αὐτογενῶν* sive *ἐγγενῶν*, quod plane congruit cum *νεῖκος ἀνδρῶν ξυναίμων* Ant. v. 792 et similibus, nisi quod ibi vere in unum vocabulum conjuncta sunt, quae hic quasi unam vocem efficiunt. Maxime emendatio nostra commendatur insigni symmetria constructionis: a *φεύγομεν* pendent accusativi *δημηλασίαν* et *φυξανορίαν*, quod in utroque *φυγῆς* notio inest uti v. 325 *φυγὴν* a *κέλσειν* pendet, male a Well. commate disjuncto; substantiva deinde illa additis participiis *γνωσθεῖσαι* et *ὀνοταζόμεναι* explicantur. —

Inter chorica metra nullum in pluribus canticis regnat, quam dimeter trochaicus catalecticus, quem vulgo Euripideum vocant. Modo solus, modo plures compositi, nunc purus, nunc cum creticis, jambis et aliis conjunctus reperitur. In tanta exemplorum copia tam pauci versus leguntur, in quibus quarta syllaba producta sit, ut eos facile suspectos habeas. Ut omittamus ea, quae quanquam dimetros cat. judicare possis, tamen bene aliter distribui et possunt et nunc distributa sunt, syllabam ancipitem in his exemplis inveni: Pers. v. 546. 930, ubi N. P. excusat, Sept. v. 823 cum antecedente conjunctus potius tetr. tr. cat. efficit, praeterea vocalis ante vocalem in *εὐκταία*. Unicus certior locus Sept. v. 730

Χρηστηρίοις θνήσκοντα γέννας ἄτερ σώζειν πόλιν.

´ . ´ ´ ´ ∪
– – ∪ – – – ∪ – – ∪ – – – ∪ –

quanquam in hoc carmine purus Euripideus non ita regnat, ut in multis aliis canticis Agam. v. 155-84. 975. Choeph. 449. Eum. 468. 876. Pers. 114 et aliis, in quibus nullum quartae syllabae productae exemplum invenias, quare minime eam conjectura inferre licet. Id factum est Agam. v. 164, ubi quum incorrupti libri *οὐδὲν λέξαι πρὶν ὤν*, syllaba omissa, Farn. Vict. inepto supplemento *οὐδέν τι λέξαι* praebeant, post Schutzium omnes *οὐδὲν ἂν λέξαι* receperunt, nisi quod Blomf. *οὐδὲν ἂν δόξαι*, aeque falsum, suspicatus est. Nec sensus vulgatae lectionis valde placet: *οὐδὲν λέγειν* enim pro *nihil valere* vulgare nec tragico dignum ideoque etiam Eur. Suppl. v. 595 *οὐδὲν φέρει* verius quam *λέγει*. Corrigendum puto: *οὐδὲ λέξεται πρὶν ὤν*; ***nemo priorem regem commemorabit aut recordabitur.*** Duplex *οὐδὲ* quanquam nullum e tragicis exemplum mihi notum est, tamen uti Homero usitatissimum, ita ne in Atticis

quidem sine exemplo. Xenoph. Cyrop. VII, 2, 20 *οὐδὲ γὰρ οὐδὲ τοῦτο ἐψεύσαντο* et ibi Born.

Haec sunt, quae scriptionis fines nunc monere concedunt, quibus si nonnulla recte constituisse judicemur, alios similem rationem atque viam sequutos multo plura emendaturos confidimus; ipsi enim et in quatuor his fabulis corruptioribus et in ceteris praeter ea, quae promulgavimus, haud pauca melioribus praecipue libris ducibus restituenda putamus, alia suspecta habemus. Utinam tandem aliquando in lucem prodeat, quam diu omnes desiderarunt, editio Aeschylea Hermanni, qui, si qua recte diximus, ne jam dudum comperta habuerit, jure veremur.

Ceterum ab humanis judicibus excusatos velimus et nos ipsos, si, quam extra ordinem suscepimus scriptionem, haud ad unguem perpolitam esse apparuerit, et typographum, qui metrica signa, quibus nunquam dum ei opus fuerat, quum aliunde comparare per temporis angustias non liceret, rudiore quidem, sed satis solerti modo supplere conatus est.

Schul-Actus.

Der diesmalige Schul-Actus, zu dem die verehrten Gönner und Freunde unsrer Anstalt gehorsamst eingeladen werden, wird, wie gewöhnlich, in dem neuen Saale gehalten und nimmt am 6. April Nachmittags 3 Uhr seinen Anfang.

DerAnfang und Schluss des Actus wird mit dem Absingen eines Verses aus Niemeyer's Gesangbuch unter Begleitung von Blasinstrumenten gemacht.

Folgende Scholaren werden theils selbst ausgearbeitete Reden halten, theils passende Gedichte oder Stellen aus grössern Dichtungen declamiren.

Marheineke aus Nienburg wird zuerst in einer lateinischen Rede die Verdienste des Augustus um den römischen Staat schildern.

Grote aus Münden wird in deutscher Sprache eine Lobrede auf Gustav Adolph halten.

Hierauf werden declamiren:

von Löhneysen aus Wolfenbüttel die Glocke von Schiller.

Brohm aus Ilfeld der Pelzrock von Schütze.

Rubach aus Grauhoff David und Goliath, eine plattdeutsche Erzählung.

Heinss aus Münden Monolog aus Wallenstein von Schiller.

v. d. Knesebeck Harras der kühne Springer von Theodor Körner.

Eissfeldt aus Sophienhof eine Ballade, gedichtet von dem Scholar Gödecke.

Diese Rede- und Declamir-Uebungen werden mit 2 Reden schliessen:

Köhler aus Ilfeld wird in deutscher Sprache seine Gedanken und Gefühle beim Scheiden aus der Schule aussprechen.

Theilkuhl aus Osterode wird in einer lateinischen Rede über den Unterschied der altgriechischen und jetzigen Erziehung und einige Worte des Abschieds sprechen.

Den Schluss der Feierlichkeit wird die diesmalige Praemien-Vertheilung, die Uebergabe der Maturitäts-Zeugnisse an die Abiturienten und deren Entlassung von der Anstalt machen.